

TRIGEMINA
CELSITVDINIS THEOLOGICÆ
PORTA:

Perillustri, Clarissimo, & Adm̃: Rñd. Dño,

D. M. MATHIÆ STANISLAO PSOIECKI,

Sacræ Theologiæ, & Vtriusq; Iuris Doctori,
PROTONOTARIO Apostolico, COLLEGÆ MAJORI,
CANONICO ad S. FLORIANUM, ALMÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS PROCURATORI,
Contubernij Jagelloniani PROVISORI, CURATO in Osiek, S. R. M. SECRETARIO;

PRO LOCO,

INTER PERILLVSTRES, & ADM: RR. DD.

Sacræ Theologiæ Doctores,

In Peraugusta Divi Iagellonis Aula,
& in Amplissima Illustrium Hospitum,
Ordinumq; Academiæ Corona

RESPONDENTI,

IN

ARCVM TRIVMPHALEM,

Gratijs Auspicibus

ERECTA:

Comitante raræ magnificentiæ pompam,
Officiosis plausibus,
Debitæ observantiæ ergò,

M. MARTINO BIELECKI,

Philosophiæ Doctore, inter Collegas Minores Professore,
Canonico Tarnoviensi, Contubernij Jagelloniani Seniore,

Anno restitutæ Salutis 1691. Die 6. Septembris.

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Typogr.

CELSITVDO
THEOLOGICA,

In monte Palatino nobile Pallanteum.



Non hùc perueniunt,
viles animæ ac in terram pronæ:
Ardua damnantes, ut ardea aquas.
Alto rerum prædita solio dominantium potestas,
Hùc quoquè non eluctatur ut habitet,
Diuinæ ianitricem scientiæ, vigiliam declinans, ut veliam Publicola.
Cæterum
Regum trabeis, Imperatorum prætextis, Consulum blatteis,
potior hospes, hanc incolit Regiam, sacrosq; Penates.
Ipso minor Ioue vir sapiens,
plerumque pauperis Euandri similior,
semper Regum opes, æquans animo.
Bonorum Rector, malorum victor,
Doctarum post amara curarum,
non Aquilæ ministerio sicut fabulosus Ganimedes,
sed, Sacratioris disciplinæ, lucem inaccessibilem aquilâ acutiùs cernentis,
adminiculo,
velut Nectaris poculo, Diuinitatis conscius efficitur.
Palatium ad hoccè, arcano lumine circumfulgens,
Quæ conducit,
Carmentalem Romano nomine portam,
Frustra quis requirat,
nisi fatidicæ vatis, sacrum Nymphæ Carmentis honorem,
iustiori titulo referat in Diuam Theologiam,
cuius doctrinam fata sequuntur.
Porta eius Trigemina, & Ostiensis, captiuare intellectum in fidei obsequiũ:
murus triplex Ahæneus esto, Theologicarum ternio virtutum,
ostium triumphale reuelatio Diuinorum,
per quam, nutu scientiæ cæli Palatinæ, apertam,
tres unius Deitatis Personæ salutariùs procedunt,
in cognitionem fidelium,
quam olim Trigemini Horatij contra Curiatios in prælium.
utrumq; sanè pro Romæ pollentis imperio
sed Trigemina Celsitudinis Theologicæ porta

Sancti-

Sanctioris decus & tutamen Quirini.
triumphali non ſcelerato nomine ſignanda
quamvis, innumera Martyrum millia non trecentos Fabios,
in cladem dimiſerit.
Nempe illi vitâ & obitu Theologi,
dum Theſes Orthodoxæ fidei Theologicas,
uni trinoque Domino,
in proprij
ſangvinis purpura dedicant, invictiq; cadunt,
per Trigeminam, in cæleſte Capitolium regreſſi ſunt triumphantes.
ſic lætiori rerum viciſſitudine,
Porta vacat culpâ nec malum omen habet,
cum, iam mitiori fato in cælum liceat referri.
Trigemmem hanc etiam ego dixero,
quæ cum tres Perilluſtrium in Sacra Theologia Doctorum, gēmas.
nuperrimè præmiſerit
in auguſtius ſubſellium,

Tibi

Perilluſtris Clariſsime & Admodùm Reverende Domine,

M. MATHIA PSOIECKI,

Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor,
Collega Maior, Protonotarie Apoſtolice,
Canonice S. FLORIANI
Almæ Vniverſitatis Cracovienſis Procurator,
Contubernij Iagelloniani Proviſor,
cuius triumphalia, Abacus ex gemmis, & aurei montes decent,
omine fauſto, ſurgit in Arcum triumphalem.

Nimirum:

Adamas, quem facit ſol ſibi luce parem,
In excelſa mente Perilluſtris Clariſsimi & Admodùm Rndi Domini,
M. CHRISTOPHORI SOWINSKI,
S. Th: Doctoris & Profeſſoris,
Collegæ Maioris, ad S. FLORIANVM Decani,
radiat præclarè, proſperis remitti, aduerſiſque frangi neſcius,
mirâ ſcientiarum claritate, umbras mentium ſerenans.
Carbunculum, cui purpureo nomen ab igne venit,
in candido pectore

 Peril-

Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,
M. BASILII OLSZYNSKI,
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,
Collegæ Maioris, Canonici ad S. Florianum,
ardere approbant, ignita eiusdem Divina eloquia
& lampades concionum ardentes.
In eximiis Virtutibus,
Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,
M. PAVLI WOIEWODZKI,
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,
Collegæ Maioris, ad Sanctum Florianum Custodis,
vernat viridis hilari fulgore smaragdus,
aut emicat pretiosus iaspis
varius doctrinarum flammis.
His magni pretij gemmis,
Te placido sublimem triumpho,
contuetur victoria animorum
Adeò:
non suo tantum allusit fauori Cæsar Dictator,
Gemmas, oculos Deorum appellando.
Grata Civium Londinensium pietas, an ingeniosa adulatio,
miro artis finxerit genio
Tres Gratias,
Portam, Regi Angliæ Londinum ingredienti, reserantes
cum Lemmate: *Exspectate venis.*
Fragilis ille honos, agilis quem dextra laborat.
Sapientissimi animi Tui,
& Triumphalis, quam per plausus animorum ducis,
Pompæ,
Fama formaque æterna est.
Quid ni?
Perenniùs hanc exhibeant orbi,
Doctarum Comites Musarum Gratiæ,
cultissimi pectoris Tui Patriciæ Ciues
primùm Aglaia decoro
Lætitiam præse ore ferens, secumq; Thalia
Cincta sacrum viridi strofio caput, Euphrosineq;
Læta genas, læta os roseum, vaga lumina læta.

Istæ

Istæ omnium actionum meritorumque Tuorum
cum Præstites Deæ sint:

Quidni:

laudes tuas Tibi ingerant & præcellentium virtutum,
pandant ordinem.

nam hic victoris, animi arcus triumphalis est,

PRIMA CHARIS,

Formosos natura viros, fortunaq; Cræsos
sed probitas magnos ingeniumq; facit.

Vota mortalium

qui nec sibi consentiunt,
nec prudentum consilio regi sustinent, incerta & vaga,
Qua data porta ruunt
Mobili ad omnem spei auram desiderio,
magnum in rebus inane sectantur.
Romæ Tibur amant ventosi Tibure Romam,
Cum ubiq; sint leviter, nusquam sunt decorè,
Pulchrum quidem censent inter illustres viros eminere,
sed eo magnitudinis procedere, ignorant aut refugiunt,
virtutis speciem laudant, quia pulchra:
In ardua ducentem non sequuntur: quia difficilis.
fluxarum caducarumq; rerum
(Quæ fucum tantum magnæ laudis habent)
intenti studio;
Ingenium, quo nihil melius neq; amplius est in vita mortalium.
aut vilibus curis deprimunt,
aut incultu socordiâq; torpescere sinunt.

Ignari

veram magnitudinem, metiri debere, decempedâ virtutis.
Cui à natura insitæ
institutio proba, incunabula præstat:
improbus labor, rectiq; cultus,
in bono vestigia firmant.
Felix & exagerata Indoles Tua

Perillustris Domine Sacræ Theologiæ Doctor,

ab incondito illo aliud atq; aliud agentium vulgo,
Te omnino exemerat.
qui rerum honestarum semina animo gerens,
honesta complexus es, postquam audivisti.

In flore ætatis,
maturos fructus honoris, ulterioribus annis, præmisisti alios,
alios promisisti.
Numine prospero,
fauentem inclito germini Lucinam,
in Maiori Polonia sortitus:
Maioribus ire per altum auspicijs, nunquàm destitisti;
Futurus
in Minori Polonia,
Maiorum semper gentium:
vel magnus Præceptor,
vel in Regno Sapientiæ, optimus Senator.
Ad Maternam Delum,
(*cui nunc es dulce decus & præsidium,*)
naviganti, feliciori fulgore,
quàm Castor & Pollux præluxerunt,
ambo magni, ambo iam cælo recepti immortales.
Magnitudine animi incomparabilis,
in maiestate scriptorum, æternùm venerandus Makovius.
Tertius velut de cælo Cato Academicus,
cuius virtuti nullus laudando profuit,
nec quisquam vituperando nocuit.
E T
magnorum in Polonia Heroum corculum,
Mathias Treter
eruditarum ocellus mentium.
Hi, magna ad titulos exempla dabant,
sponte in præclara nitenti.
Augur Apollo suspexit in Te,
Ingentis publicè priuatimq; decoris Academici, materiem,
idcirco, solito digniùs adamavit,
illustre ingenium,
Philosophico & omnium Artium honestarum cultu,
non perperàm imbutum,
invitans ad lauream.
Philosophicis Maior honoribus,
Pierias noctu diuq; docto, sub pectore agitare curas,
legem

legem Tibi dixisti,

ut facto impleres, quod Sapiens Romanus
dicto asseruit:

Philosophiam non esse populare artificium,
nec ostentationi paratum.

Toties ex sublimi eruditoque argumento,
publicè agnitus Philosophus, ut ex linea Apelles.
Nec minor Te, gloria secuta Demosthenis in armis,
quoties pro rostris stetisti, roseo facundus in ore.

Multa paucis,
sincera probitas, & vera eruditio,
Tibi pari iure dilectæ.
habitus præterea corporis decorus,
in vultu gratiæ hilares,
in tranquilla fronte serenus nitor,
intuentibus persuadebant,

ut Vir bonus & sapiens facilè crederesis,
Magnus libenter,
visenda hæc fauoris publici, sed non porta patens.
Instandum Ergo fortunæ,
uti cessere prima, fore uniuersa.

SECVNDA CHARIS

Multa Tui virtus animi, multusque recursat
Gentis honos celsæ, quæ Tibi culta magis.

Magnarum virtutum Pantheon,
publica virorum Illustrium æstimatio & Principum fauor.

Hic illis, cælestis & igneus inspiratur vigor,
hic oritur maior Phæbo dies.

in quo suam explorant crystallum,

Velut Iouis alites,
ante fidem solis iudiciumq; Poli.
Quæ in tenebris lucet Virtus,
sæpe in publico sole ægrè tuetur.
Velut Palladia Satiriaq; auis.

in luce caligant,
de nocte venantur & volant.
Adeò longè diversum est,
purum sudumq; lumen cernere, & tenebris admistũ.
Conscientia propria,
non est satis amplum theatrum, virtuti:
quæ aliorum umbras, nata est illustrare.
Tuæ hoc clarum specimen virtutis est,
æquè in luce ac in recessu florentis,
nobis utilitèr, Tibi gloriosè,
Perillustris & Admodùm Reverende Domine,
Palmare hoc præcipuumq; Magisterij Tui decus erat,
paulatim, ad honores Academicos exsurgere,
palàm se cuicunq; labori offerre:
non crediturus Te meruisse, si creuisse putares.
Multorum bonorum gratiam,
ne quid carbone notandum, corrumperet,
seriò; cavere:
bene agendo, beneq; dicendo, domi forisq; inclarescere:
alterius laudem de proprio bono, sive invidiam de alieno,
Tuæ virtutis cotem existimare.
Plurimum facere, minimum ipse de Te loqui;
Tanto virtutum insigni decorus, & peti dignior,
Magnæ spei, & alti sanguinis moderator Iuventæ,
non uni;
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabas Achillem:
& veterum decora alta Heroum.
Debent gratitudinis palmam,
constantibus sapientiæ Tuæ præceptis,
Triumphales OLSZOVIORVM Falces,
Nobiles Palmas demetere natæ.
Debet, aurea illa arma,
quibus tectos, in casum & fortunam, pugnare Plato iubet,
aureo veterum recentiumq; splendorum vellere, nobilis,
Gentilitius ZALUSCIORUM Agnus

Nec

Nec vacat Tuarum munere laudum:
Genitrix Alcmene Heroum,
Denhoffiana Domus,
Tot Alcidas pariens, quot mares
queis Arctoæ populator oræ,
fulmineus Aper,
caput dedit, in præmium Victoriæ,
& in gloriæ Capitolium.
Tanti sanguinis vnus
Te Duce, non vagus Hercules
Nationes alio sole calentes adijt,
non mutans animum, nisi in melius,
Auitis fulgoribus, plus vltra decorum additurus.
Exemplo Tui maximo,
quem SORBONICA Pallas in Regno Liliorum,
Lilia & gemmas ingeniorum exquirens,
Inter Diuæ Themidis clarissimos mistas,
Doctorali coronamento insignem, recensuit;
non sine Scientiæ legum insigni experimento.
nam inibi Iuris nodos de Tutela,
disputationi publicæ, proponens.
Liliatæ Innocentiæ Parenti,
Iustitiarum Domini in terris Tutori,
Sanctissimo IOSEPH consecrasti.
Verior hic, Ioue Ammonio, Iuuans Pater.
& Gordia vincula soluere
& loqui oracula docuit.
Lemma hoc Tuæ pietatis,
factum non sine arcano superum Iudicio,
Te iam hâc tesserâ à longè destinantium,
In peruigilem Iurium Academicorum & legum tutelam.
Iterum.
spei publicæ velificare in Sarmatico Hidaspe
periculosa eadem, & gemmea felicitas.
Purpureus hic Fluuiorum regnator,
Cæsarum Regumq; fortunam vehens,

C pretio-

pretiosissimum vnionem Tibi credidit vni,
Seipso maiorem: quia FILIVM ACCRESCENTEM,
soliciti plenus timoris honos!
Tam incomparabilis rei
pretio, nitori, integritati prospicere
non satis est cautum esse in horas.
inter tot discrimina rerum,
quot Maximarum in orbe Europeo Vrbium culmina,
quot Principum fastigia Aularum, reuisistis,
exoticorum splendorum morumq; laudabiliter curiosi.
Iacta est alea feliciter.
plusquam Cyaneas insulas Maleæq; tenaces vndas superauit,
ad consilia prudens, ad casum fortunamq; felix,
Tua dexterrima virtus.
Atq; ità, votorum summam Celsissimæ Parentis impleuit.
vt Cerulea Tethis inuideat:
Te Lubomirscio non suo Achilli contigisse
quem notus non fefellisset Vlisses.
Magna hæc prudentiæ, sed maiora pietatis insignia.
Divinum Benè,
Magnis Laudibus Angelici Doctoris,
eximiè adornatum,
ut illi ad portas æternales via lactea,
ita Tibi, ad magnos honores Porta Triumphalis.
cujus fabricam pulchrè hîc inchoatam,
Romæ splendidè perfecisti.
in arduo, Beatificationis Divi IOANNIS CANTII, negotio,
plùs elaborans,
quàm Mercurius in Iovis triumpho.
Augusta hæc cecidit Sors super MATTHIAM,
ut, qui,
apud Sanctissimum Innocentium XI,
Sacros, candidis Innocentiæ Divi Patriarchæ Nostri niuibus,
procurasti honores,
Sub Felicissimis Auspicijs,
Sanctissimi INNOCENTII XII,
Apo-

Apostolicam Argo, hodie g[illegible]antis,
Theologico augustior honore,
TRIVMPHARES.

TERTIA CHARIS.

Multa Tuum, meritis sustentat fama trophæis,
Nomen, & es, nostræ, gloria magna Togæ.

Centum ora famæ,
Centum Portarum Hecatombe,

has condit Amphion, pollens potensq; sui animus,
quoties iturus in orbem triumphans,
Syrenes illecebras, suavi virtutum concentu,
& abiecta curarum, dulci gloriæ modulamine, vincit.

Famâ bonâ,

Carmen triumphale præcinente.
Ita, immortalia facinora, quot quisque virtute magistra exegit,
tot erexit arcus fama triumphales:
tot triumphalium propugnacula turrium,
vnde centum linguis lætum pæana canat,
vnde ære sonora concutiat.
Hæc alta vocalis culmina famæ, Tuis laudibus personant,
Perillustris, & Admodùm Reverende Domine.
laudabilium operum Tuorum amplitudinem,
licet modestiæ Cortinâ obtendas,
non secùs, ac pretiosam occulit concha margaritam;

tamen

(*Quæ Virum bonum & magnum etiam sub cavernis terræ reperit*)
Grata fama,
Te mille vigilibus vestigat oculis,
totidemq; præpetibus pennis,
fert per oraauresq; hominum,
Virum omni fortunæ parem, & maiorem etiam ornaturum;
Principum gratiâ, Procerum, Magnatumq; favoribus,
Nobilium amicitiâ vigentem:

Omnes pretiosi[illegible]ntem honores, nullos ambientem,
[illegible]ritè oblatos acceptantem:
qui dexteritate agendi, prudētiâ, felicitate, cōstātis animi celsitudine,

Lechicarum Athenarum Orator,

Generalium Euripos Comitiorum,

toties adijt, nec submersus est,
quin salutaris rebus Academicis redijsset:
particularium, Nobilitatis Conventuum, tempestates sonoras,
magno animo perferens, reduxit Alcionia.
Difficilium quorumvis negotiorum naufragia, perpessus est:
& ubi salvare non potuit, subduxit in littus,
nutantem legum Iuriumq; Carinam, Anchoram iaciens spei melioris.
Hæc pro liberrimo regnantis Sapientiæ imperio, Regijsq; camænis,
extra Portam Camænam, gesta Tua, celebrat vox cōmunis bonorū:
Sacratior verò Minerva, Septenario Pythagoreis designata,
summiq; Numinis instar, Diva Theologia,
quidni auratos celsitudinis suæ postes, grata libensq; Tibi pandat,
cui post Romuleam Laurum,
plurium Theologicarum pugnarum,
Victrices manubias, cum appendisses,
in Disputatione de Sacramentis publica,
Triumphale Septizonium erexisti.
Gloriosâ Cursûs Sacramentalis Olimpia,
cùm Te hodiè suum Olimpionicem venerantur;
Quæ Septem nititur Sacramentis,
Sancta Ecclesia,
veriùs Civitas Septicollis,
meritò in potiorem partem triumphi venit.
De cujus, infinitis Thesauris,
Cælestium plenitudo Gratiarum,
Tibi longè diuq; fortunatissimo procedat.
Cui in mense plenitudinis,
Sublimis de Processionibus Divinarum,
Personarum disertatio,
IN TRIGEMINA
CELSITUDINIS THEOLOGICÆ PORTA,
Arcum erexit Triumphalem.